99

Romana Constitutionum Congregationis Monachorum Reformatorum Sancti Bernardi Ordinis Cisterciensis.

1. Monachorum Reformatorum Sancti Bernardi, siue Beatæ Mariæ Fuliensis Congregatio à felic. recor. Sixto Quinto approbata, & successiuè à Clemente Octauo, anno 1595. eiusdem Pontificis permissu particulares sibi condidit Constitutiones, quæ in volumen redactæ, præuia discussione, & examine duorum Prælatorum fuerunt ab eodem Clemente confirmatæ per hæc verba -- *Nos cupientes, vt hæ Constitutiones a dictis Monachis toto studio obseruentur, Constitutiones, & declarationes prædictas, authoritate Apostolica perpetuò approbamus, & omnibus Monachis &c. præcipimus, quatenùs easdem Constitutiones. tamquam legem, & normam vitæ suæ inuiolabiliter obseruent; Decernentes propterea, Constitutiones ipsas nullo vnquam tempore abrogari, rescindi, aut in aliquo immutari, vel alterari posse, nisi modo, & forma in eisdem Constitutionibus præscriptis.*

2. Modus autem præscriptus in dictis Constitutionibus pro nouis legibus condendis, vel antiquis abrogandis ità se habet *pag. 14. num 10. -- Et cum imposterum aliquid noui in Congregatione constitutum fuerit, id Decretum vim Constitutionis habere, tùm demùm intelligatur cum ab vno, & altero Capitulo, nullo alio interiecto continuatis ex maioris partis Patrum Sententia, Decretum, approbatumque fuerit, & id quidem post priùs horum Cpaitulorum obseruetur tamquam Ordinatio post alterum autem Constitutio habeatur; Eademque ratio seruetur in quacumque Constitutione, siuè ex toto, siuè ex parte abroganda.*

3. Continebantur autem in dictis Constitutionibus plura ad solos Monachos Galliæ spectantia; Cumqiè conuerso alia plura in illis desiderarentur, quæ spatio septuaginta annorum, tamquàm Canonicè approbata per duo Capitula Generalia vim Constitutionum acceperant; Hinc Congregatio Italiæ, ab illa Franciæ iamdiù separata, in Capitulo Generali anni

1667. omnium Capitularium consensu ità decreuit -- *Quod decreta Capitulorum Generalium, quæ in Constitutiones transierunt vna cum propositionibus à toto præsenti Capitulo Generali approbatis inseri Constitutionibus debeant ad effectum eas imprimendi, etiamsi huiusmodi propositiones ad formam Constitutionum ab altero Capitulo approbata nondum sint; Derogando hac vice tantùm Constitutioni contrarium decernenti*.

4. Aduersùs huiusmodi Constitutiones dicto tempore impressas, & spatio triginta annorum in tota Congregatione receptas, insurrexerunt nuper nonnulli Monachi Monasterij Sancti Petri de Lemenco Camberien Ditionis, prætendentes, vt se eximerent ab Obedientiæ iugo, earumdem Constitutionum inualiditatem, ex qua illationem deducunt pro nullitate, tàm Professionum postea factarum, quam electionum omnium Superiorum.

5. Quatuor autem fundamentis innititur eorum prætensio: Primo, quod ob insertionem nonnullorum Decretorum carentium confirmatione dupplicis Capituli Generalis contrà formam antiquarum Constitutionum, Breuisque confirmatorij Clementis VIII. nullæ remanserint, etiam aliæ Constitutiones, vel in dicta compilatione contentæ per modum indulsibilis; potissimum, dum in Decreto Capituli Generalis abrogatæ fuerint omnes aliæ Constitutiones antea factæ; ideoque abrogatis antiquis,&modernis non subsistentibus,Congregatio reperiri dicatur absque Constitutionibus.

6. Secundo, quod eædem Constitutiones indigeant approbatione Summi Pontificis, sine qua aliàs nullæ sint, vt præscribi prætenditur in Breuibus Clementis, & Vrbani VIII.

7. Tertiò quod contineant plura decreta aduersantia Regulæ Diui Benedicti,& dispositioni,tàm Sacror.Canonum,quàm Sac. Concilij Tridentini, & propterea eo magis confirmationem Sanctæ Sedis expectent.

8. Et quarto demùm, quod in eodem Capitulo Generali, in quo decreta fuit compilatio, & impressio non interfuerint omnes Discreti ad formam Breuis sanctæ memoriæ Pauli Quinti.

9. Verùm licet huiusmodi fundamenta fuerint non minùs docto, quàm erudito stylo confutata in responsione Patrũ Superiorum in forma Epistolæ ad Patres Camberienses transmittenda; Nihilominùs, vt veritas magis cribrata, magis nitida elu-

cescat,

cesſcat, iterata confutatione per legum, & Canonum Regulas illorum irreleuantiam oſtendere iniucundum non erit.

10. Præmiſſo ſiquidem reſpectu primi fundamenti principio aliàs notiſſimo, quod quælibet Vniuerſitàs, ſiuè Communitas habens Iuriſdictionem de Iure, tàm Ciuili, quàm Canonico poteſt ſibi condere leges, & ſtatuta particularia Iuri communi non contraria, illaſq; totiès, quotiès ſibi libuerit alterare, mutare, & deſtruere vt de vniuerſitatibus in genere eſt *Text. in l. omnes Populi, vbi Alberic. Bald. Salicet. & alij ff. de Iuſtit. & Iur. Bald. in l. Receptitia col penult. C. de Conſtitut. pecun. Alex. in leg. prima col. 3. ff. de Iuriſdict. omn. Iudic.* vt enim ait *Diuus Thomas prima, ſecunda quæſt. 9. artic. primo*, condere leges ſpectat ad Communitatem: Et preciſè de Monachis Ciſtercienſibus loquitur alius Textus in *Cap. In ſingulis de ſtatu Monacorum*, ibi -- *& quod ſtatutum fuerit, illis approbantibus, inuiolabiliter obſeruetur* -- & generaliter de omnibus Religionibus docent *Vaſquez prima, ſecunda diſput. 153. Cap. primo, & ſecundo Sanchez in Decalog. lib. 6. cap. 2. num. 17. Suarez. de legib. lib. 4. capit. 5. Bonaccin. eodem tract. diſputat. prima quæſt. prima punct. 3. Peyrin. tom. 1. de Priuil. Minimor. in Conſtit. Pyrri § 4. cum alijs per Lezan. Oper. Moral. tom. primo cap. 8, num. 3. & ſeqq.*, vbi ſpecialiter de facultate Capituli Generalis, *& eodem tom. primo cap. 18. num. 9. & Bordon. de Profeſſ. Regul. cap. 1. num. 170.*

11. Clarum exindè fit noſtram Congregationem validè potuiſſe nouas leges condere, ſeù recompilare, etiam antiquas in parte corrigendo pro bono publico Religionis, prout expreſsè ſancitur in ipſis antiquis Conſtitutionibus à Clemente VIII. confirmatis, in quibus traditur forma nouas leges conſtituendi.

12. Haud releuante, quod in modernis Conſtitutionibus ſeruata non fuerit eadem forma in dictis antiquis Conſtitutionibus præſcripta, quia dum per Capitulum Generale fuit expreſsè derogatum prædictæ formæ, hoc ſufficit, vt nouæ ſuam obtineant firmitatem iuxtà vulgatam regulam, quod eius eſt deſtruere, cuius eſt condere, & quod quælibet res per eaſdem cauſas diſſoluitur, per quas componitur vt de vtraque regula tradunt *Doctores in Capitul. Omnis res de Regul. Iur. Barboſ. axiom. 199. num. 10.*

13. Pa-

13. Parumque refert, quod antiquę Constitutiones, vti confirmatæ à Clemente VIII. cùm claufula *fublata*, *& decreto irritanti* videantur habere vim legis Pontificiæ, proindeque essent in nouis legibus omninò feruandæ.

14. Etenim obiectum procederet in approbatione in forma specifica, per quam leges, & statuta Inferiorum euadunt leges Papales, Inferiorum emendationi non obnoxiæ *Tamburin. de Iur. Abbatiss. disputat. 34. post quæst. 4. in addit. ad quæsit. 10. & disput. 8. num. 9. & 11. Marescott. var. lib. 2. cap. 6. num. 20. & seq. Seraphin. decis. 153. num. primo, & decis. 794. num. 27.* licet non desint grauissimi Authores tribuentes etiam in his terminis facultatem Capitulo Generali mutandi, alterandi, & corrigendi Constitutiones Ordinis in forma specifica confirmatas ex ea ratione, quod in Confirmatione censeatur semper præseruata facultas Capituli Generalis totam Religionem repræsentantis circà Gubernium, siuè œconomicum, siuè politicum eiusdem, quorum aliquos referr, & sequitur *Bordon. de Profess. Regular. cap. primo. num.* 170. *Roderic. quæst. Regul. tom. prima, quæstion. 10. articul. primo, Miran. tom. 2. quæstion. 29. artic. primò, conclus. 2. Peyrin. de subdit. quæst. 1. cap. 8. §. 3.*

15. At quotiès agitur, vt hic, de confirmatione simplici, & in forma communi, prout talis de Iure præsumitur *Cap. Porrectâ de confirmation. vtil. vel inutil. Tamburin. de Iure Abbat. tom. 1. disput. 18. quæst. prima num. 5. Rot. post eum decis. 78. num. 7. & in recentior. decis. 379. num. 17. part. 9.* Deficiente præsertim insertione specifica totius tenoris earundem Constitutionum, vt aduertunt *Gabriel. conf. 183. num. 14. lib. 2. Marescott. var. lib. 2 Cap. 47. num. 1. Garz. de Benefic part. 3. cap. 2. numer. 226. & 227. Seraphin. dec. 981. num. 2. cum alijs apud Fagnan. in cap. si quis num. 12. de confirmat. inutil.* Eoque magis dum confirmatio facta fuit cum præsupposito, *quod Constitutiones non aduersarentur dispositioni Sac. Concilij, & Sacrorum Canonum*, quodque nihil continerent, *nisi pium, & honestum*, in quibus terminis præcisè verificatur confirmatio in forma communi, vt per *Fagnan. in dicto cap. si quis num. 18. vers. alia est confirmatio Marescott. variar. resolut. lib. 2. cap. 47. numer. 1. & 2.*

16. Citrà dubium est posse à Capitulo Generali corrigi, & abrogari, quia huiusmodi Confirmatio nihil tribuit, sed famula-

tur

tur actui, cui accedit *Cap. Cum Dilecta, & cap. examinata de Confirmation. util. vel inutil. Gonzalez ad reg. Cancell. Glos. 45. § primo num. 76. Cassador. decis. vnic. de Confirmat. util. & Rot. decis. 702. num. 6. part. 1. & decis. 31. num. 6. part. 2. diuers.* non obstante clausula *ex certa scientia Rot. dec. 166. num. 5. & 6. par. 5. recentior. & coram Merlin. decis. 740. num. 6.* in puncto *Lezan. Oper. moral. tom. primo cap. 8. num. 22. & Tondut. resol. 121. num. 13. part. 3.*

17. Et quamuis in dicta Confirmatione adiectum fuerit *Decretum irritans*, istud nihilominùs nihil operatur, tum quia vti accessorium in Confirmatione communi non ampliat confirmationem, nec maiorem habet virtutem *Crescent. dec. 7. num. 11. de concess. Prabend. & in recentior. decis. 569. num. 5. & seqq. part. 2. & decis. 14. num. 53. & decis. 127. num. 12. & decis. 302. num. 20 part. 9.* Tùm etiam quia adiectum fuit non motu proprio, sed ad instantiam Partis, quo casu dicitur habere robur, ipsa Religione volente, & donec ipsa aliter non disposuerit, *Gratian. discept. 516. num. 8. de Luc. de Regular. disc. 51. num. 8. Lezan. Oper. Moral. tom. 1. cap. 8. numer. 21.* vbi quod quando Confirmatio Papæ est facta per viam Decreti, siuè Priuilegij fauore certæ Religionis possunt liberè Priuilegiati ab illa recedere.

18. Præterea (esto etiā sine veri præiudicio) quod seruari debuisset forma præscripta in eodem decreto irritanti, & consequenter, quod decreta de nouo ædita vim legis habere non possent absque approbatione dupplicis Capituli Generalis, adhuc non sequeretur, quod omnes Constitutiones impressæ fuerint nullæ, sed ad summum prætendi posset, ea decreta, quæ confirmata non fuerunt per duo Capitula Generalia, vim Constitutionis non habuisse, sed simplicis tantùm Ordinationis donec superuenta non fuit, prout posteà superuenit approbatio alterius Capituli Generalis, vt apertè disponitur in ipsis Constitutionibus antiquis ibi — *Et id quidem à post priùs horum Capitulorum obseruetur tamquàm Ordinatio, post alterum verò Constitutio habeatur.*

19. Non obstante, quod Capitulum mandauerit in decreto anni 1667 huiusmodi decreta vim Constitutionum habere, & sic saltem ex mente disponentium invalida esse: Quoniàm, vltra quod in facto non subsistit, Capitulum disposuisse, huiusmodi Decreta non confirmata habere vim Constitutionum, dùm

 tan-

tantùm voluit, *quod inseri deberent Constitutionibus* ad effectum imprimendi, etiamsi talia decreta confirmata non essent, quod est quid penitùs diuersum, cùm nihil implicet inter Constitutiones reperiri inserta, aliqua decreta habentia vim simplicis Ordinationis, & robur Constitutionis expectantia à secunda Confirmatione Capituli.

20. Ad huc dato, sed non concesso, quod id fuisset expresfsè dispositum, dùm Capitulum iuxtà sensum Partis hanc facultatem non habebat, vitiaretur, vtique huiusmodi Decretum Capituli, sed non vitiaret decreta inserta, quę cum non possent habere vim Constitutionum vsque ad geminatam confirmationem Capituli dicuntur remansisse in figura simplicis Ordinationis, & vti talia fuisse in volumine adiecta; Actus enim, qui sustineri non potest eo modo, quo fit, sustinetur saltem eo modo quo potest, *Abbas, & Celderin. in cap. cum super de Offic. Deleg. Alex. cons. 55. nu. 2. lib. 5. Oldrad. cons. 300. num. 10.*

21. Et quatenùs etiam huiusmodi Decreta non approbata iuxtà formam antiquarum Constitutionum dicenda essent inualida, quod tamen constantissimè impugnatur, adhuc vana esset prætensio inualiditatis aliarum Constitutionum rationc indiuiduitatis, & tamquàm complicata cum illis per viam indiuisibilis.

22. Quia potiùs cum agatur de materia legũ de sui natura diuidua necnõ de pluribus Capitulis, & Ordinationibus inter se distinctis, & separatis, licet in vnũ volumen redactis, intrat generalis regula, quod vtile per inutile non vitiatur. Vulgato *cap. Non decet de regul. Iur. in 6. latè Tusc. litt. I. conclus. 373. per tot.* In separabilibus enim vtile numquam vitiatur per inutile. *Ancharan. cons. 215. num. 13.* Et in terminis Statutorum, quod possint pro parte valere, & pro parte non, quandò agitur de diuersis Capitulis firmant *Felin. in cap. 5. de Constitut. num. 19. vers. secundus casus cum alijs apud Mascard. de statut. interpret. conclus. 11. num. 2. & 10. Ruin. cons. 55. num. final. lib. 5. Gratian. disceptat. 516. num. 4. & sequen. & Rot. decis. 440. num. 11. part. 13. recentior.*

23. Et simile est de sententia, de qua ad statutum valet argumentum *Signorol. cons. 56. num. 6.* Licet enim ea sit indiuidua ratione cartæ: Nihilominùs concepta per Capitula separata, potest sustineri, quoad aliqua, & quo ad alia esse nulla, *leg. final.*

final ff. de Iurepatronat. leg. Quadam Mulier, & leg. In hoc iudicio ff. famil. ercifcund. Roman. conf. 195. circà fin. & conf. 281. num. 2. & 3. Tufch. litt. S. conclus. 165. num. 1. 9. & 11. cum alijs plenè congeftis per *Scac. de Iudic. lib. 1. cap. 7. num. 701. & 706. & in tract. de fentent. & re iudicat. gloff. 14. quaeft. 13. à num. 1. per plures fegq. Duran. decif. 123. num. 3. & Rot. in recen. dec. 237. num. 3. & dec. 283. num. 18. & feq. part. 9.*

24. Idemque dicimus de Inftrumento, licet vnico quando materia eft diuidua, & continet plura Capita feparata *leg. Si ex falfis Cod. de tranfact. Tufch. d. conclus. 373. num. 11. & 12. Altograd. conf. 104. num. 45. & feqq. lib. 2.* latè *Vrceol. de Tranfact. qu. 47. num. 23. & quaeft. 97. per tot. & fignanter num. 18. & feqq. Rot. dec. 429. num. 30. & 31 part. 9.*

25. Nullibi enim reperitur, quod natura non conferuet, quod poteft; Immò Artifex ipfe à Natura edoctus, fi ex tota maffa, partim corrupta, & partim incorrupta poffet incorruptam feparare, & non fepararet, aut effet fatuus, aut hebes: Et ftultus nonnè effet horologij Artifex, qui ob aliquod ferrum, quod in horologio foret, ùel nimis afperum, vel nimis molle, totum horologij artificium, & coetera in eo contenta abijceret, quandò potuiffet illum folum ferrum, vel reficere, vel temperare? vt ad propofitum ponderat *Scacc. de fentent. re indicat. gloff. 14. quaeft. 13. num. 12. & num. 18.* vbi addit, quod connexitas, & feparatio non confideratur in verbis, fed in rebus; licet fententia propter vnitatem Cartae, & temporis videatur vna; ergò idem dicendum de noftris Conftitutionibus, licet in vno, eodemque volumine contentis, in quibus fieri debet feparatio validi ab inualido.

26. Et fanè, quod hic agatur de materia diuidua, & feparabili inficiari non poteft, quia in ijfdem Conftitutionibus primo loco continetur Regula Diui Benedicti, quae ftat de per fe, & eft vndequaque valida: Secundò adfunt quamplura decreta contenta, & approbata in antiquis Conftitutionibus, quae pariter attenta Confirmatione Clementis VIII. remanent in fuo robore. Et tertiò concurrunt alia non pauca Decreta fpatio feptuaginta annorum peracta, & Canonicè approbata per duo Capitula Generalia, in quibus pariter, tamquàm factis feruata forma antiquae Conftitutionis, etiam ad fenfum Partis nulla cadit difficultas; Vndè cùm ex praedictis Conftitutiones, & Decreta impreffa fint pro

 maio-

maiori parte valida, nullatenùs irritari, & inualidari possunt per aliqua pauca Decreta non approbata, quæ tunc habebant vim simplicium Ordinationum, quia non minor maiorem, sed maior trahit ad se minorem partem, & lumen maius semper obumbrat minus ad vulgatum *Text. in capit. solitæ de maiorat. & obedient. Seraphin. decision.* 1251. *num.* 20.

27. Nec quicquam vrget animaduersio, quod in Constitutionibus recenter impressis adsit abrogatio omnium aliarum præcedentium, ex quo inferri prætenditur, quod nostra Congregatio hunc existat absque Constitutionibus, vtpotè antiquis abrogatis, & nouis non subsistentibus.

28. Nàm vltra, quod noua Statuta vndequaque subsistunt ex deductis in principio, duplex occurrit responsio; Altera, quod dicta verba continentia abrogationem reperiuntur inserta adunguem in antiquis, & sic tanquàm pars antiquarum Constitutionum referri non debent ad omnes Constitutiones approbatas à Clemente VIII., sed vel ad præcedentes, vel ad illas, quæ apertè dissonant cum modernis iuxtà *consil. Angel.* 214.*num.*2.*Lap. allegat.* 88. *num.* 5. & *Tusch. verbo Lex conclus.* 260. *numer.* 3. Lex enim noua semper dedet interpretari, vt minùs corrigat, & lædat antiquam *Alto grad. consil.* 83. *numer.* 87. *lib. primo*, *Sanfelic. decision.* 393.*num.*9.*Caball.cons.*162.*lib.primo*, & *Bich decis.*288.*num.* 9. & *seqq.*

28. Et altera, quatenùs etiam intelligenda forent de omnibus Constitutionibus antiquis, & postea factis quod, aut Capitulum Generale habebat hanc facultatem abrogandi, & res est in claris, aut non habebat citrà formam in antiquis Constitutionibus præscriptam, & tunc huiusmodi decretum vitiatur, & non vitiat, præcedentibus Constitutionibus in suo robore permanentibus ad Textum in *leg.* 14. *ff. de condit. instit.* vbi Marcianus ait — *Conditiones contrà edicta, aut contrà leges scriptas pro non scriptis haberi* — & in *leg. Sed si §.Si Vir vxori ff. de Donation.inter Vir.& Vxor.*ibi — *Veriùs est pactum dumtaxat irritum esse* — *Gratian. cap.*141.*num.*13. *Sacc.de camb.§ primo qu.*7.*part.*2.*ampliat.*60.*nu.*8.& *ampliat.* 20.*num.*9. *Rocc. disput. Select. cap.* 96. *num.* 13. *lib.* 1.

29. Attentis præsertim illis verbis Breuis Confirmatorij Clementis VIII. irritum, & inane solummodo decernentis quid quid contrà formam dictarum Constitutionum gestum fuerit.

30. Hinc

30. Hinc perperàm exaduerso inferebatur ad nullitatem Professionum emissarum in nostra Congregatione secundum Regulam Diui Benedicti, & Constitutiones Monachorum Diui Bernardi, quasi quod, eisdem Constitutionibus non subsistentibus, ipsæ quoque corruerent. Maximè cùm Congregatio ex abrogatione antiquarum dicatur esse sinè Constitutionibus; & in omnem casum, quod dictæ Professiones substineri non possent, nisi secundum Regulam in genere Diui Benedicti, non autem secundum indiuidualem Congregationis reformatæ Diui Bernardi, quæ suum distinctiuum essentiale recipit à specialibus Constitutionibus.

31. Omnes siquidem istæ subinductiones fundantur in erroneo præsupposito nullitatis Constitutionum; quocircà earum validitate superiùs ostensa, illicò collabescunt: potissimùm quia validitas Professionis vnicè pendet à traditione, & mancipatione personæ cum votis substantialibus in tali speciali Religione emissis, vt communiter tenent omnes Thæologi, & præcipuè *Suarez tom.3. de Religion.lib.6.cap.2. Azor.part.1. lib.12.cap.8.quæst.6.Salas de legib.disput.8. section. 17. & 18. Sanchez de Matrim.lib.7.disput.25 & in Decalog.lib.5.capit.4. num.62.& lib.6.cap.9. num.7.Donat.de Regular.part.4 tom.10. quæst.prima Bordon.de Profess.quæst.39.Palaus tract. 16. disput. 2.punct.primo cum alijs* innumeris, quos refert, & sequitur *Passerin.de stat.homin quæst.189.artic.10. inspection. 2. per tot. & signanter num.*13.27.& 28. vbi quod Professio essentialiter consistit in sola emissione trium votorum substantialium.

32. Et sic à validitate Regulæ circà substantialia, quæ in præsenti semper eadem fuerunt, tàm in antiquis, quàm in modernis Constitutionibus, non autèm ab ipsarum Constitutionum validitate; Tùm quia istæ respiciunt Œconomica, & alia accidentalia, quæ numquàm vitiant Professionem *Sanchez de Matrimon.lib.10.disputat.9 num.20.& 22. Donat. de Regular. part.4.tract.11.quæst.12. Palaus tract.16.disput.2.part.2.§.2. Anton.à Spiritu Sancto in direct.tract.36.disput. 3.section.prima num.23.Bordon.de Profess.cap.2.quæst.23. Nicol. Lucubrat. Eccles.tom.2 lib.3.tit.31.num.37.*

33. Tùm etiam quia, præscindendo à Constitutionibus, adhùc valet Professio, & dari potest vera Religio, vt, relato *Suarez 4.tom.de Relig. lib.primo cap.primo, num. 6.* perbellè monet *Lezan tom.primo cap.8.num.primo*, ibi- *Constitutiones, seù Ordina-*

dinationes in Religione comparantur cum Regula, sicut in naturalibus formæ accidentales cum forma substantiali: Vndè licet non possit dari vera Religio, sinè Regula, quia est quasi anima Religionis, tamen potest dari vera Religio, sine Constitutionibus à Regula distinctis, qualis est Religio Cartusiensium, & Minimorum sequitur *Tondut. quæstion. Beneficial. par. 3. resol. 121. num. 10. & 11.*

34. Accedit ad maiorem Comprobationem, quod Professio in nostra Congregatione emittitur secundum Regulam Diui Benedicti, & secundum Constitutiones Monachorum Reformatorum Diui Bernardi, nulla facta indicatione, vel restrictione ad certas particulares Constitutiones tali tempore æditas. Vndè relatio ad Constitutiones intelligi debet de Constitutionibus validis, & in robore vigentibus, non autèm de inualidis, abrogatis, & non habentibus vim obligandi *Suarez. de Relig. lib. 10. cap. 8. numer. 18. Siluester in verbo Iuramentum 4. num 23. in fin. Passerin. de stat. homin. tom. primo quæst. 186. artic. 8. num. 167. versic. at verò humana promissio*. Et simile est de confirmatione Superioris, quæ sempèr intelligitur de legibus, & statutis validis, non de inualidis ad notata *per Innoc. capit. Dudum de decim. Alexand. consil. 59. vol. primo, & consil. 39. vol. 3. Ruin. consil. 53. num. 5. vol. 5.*

35 Ex quo emanat aliud ineuitabile dilēma, quod, aut validæ sunt omnes modernæ Constitutiones, prout superiùs probatum fuit, & Professio dicitur emissa secundum formam istarum Constitutionum: Aut cunctæ non substinentur, & Professio refertur ad obseruantiam antiquarum, & aliarum in robore vigentium ex ea ratione, quod Constitutiones abrogatæ illicò reuiuiscunt, si Constitutio abrogans annulletur, *argumento Textus in cap. 4. in fin. de Constitution.* in puncto statuti *Mascard. de general. statut. interpret. conclus. 11. num. 34. & Rot. decis. 440. num. 12. par. 13. recent.*

36. Sublata ex prædictis prima exceptione nullitatis, faciliùs submouetur secunda super necessitate confirmationis Apostolicæ.

37. Quoniam de iure necessaria tantùm est Apostolica Confirmatio Ordinis, & Regulæ in concernentibus substantialia, sinè qua Religio, tamquàm non approbata, subsistere non valet, iuxtà authoritates. *Suarez, & Lezana* superiùs adductas; secùs verò quo ad alia respicientia, vel accidentalia, vel æconomica

nomica Religionis, quæ possunt à Capitulo Generali ad libitum corrigi,& alterari absque vllo Sedis Apostolicæ Beneplacito ex firmatis per *Suarez,Sanchez,Vasquez, Peyrin, Bordon. Mirand. & alios* plena manu cumulatos supra in §. *Præmisso*, quibus addo *Tondut.part.3.resol.121.numer.11.& seqq.* & *Lezan.to.1.cap.8.num.22.*

38. Vlterius hic non deficit approbatio Apostolica, etiam quo ad modernas Constitutiones, quià cùm in antiquis à Clemente VIII. confirmatis adsit expressa facultas nouas leges condendi, & antiquas moderandi, indè consequimur, nouas Constitutiones à toto Capitulo Generali decretas censeri comprætensas sub approbatione præcedenti Clementis VIII. complectentis non minùs factas, quàm faciendas.

39. In nihilo refragante iteranda responsione, quod ob formam Breuis non seruatam in noua publicatione, eædem Constitutiones loco confirmationis subiaceant decreto irritanti in eodem Breui adiecto.

40. Quippè, vt superiùs responsum est, maior pars decretorum in nouo volumine insertorum approbata fuit per duo Capitula Generalia ad formam antiquarum Constitutionum, & Breuis, consequenter quoad ista obiectio non procedit, attenta præsertim diuiduitate materiæ, & separatione Capitulorum, vt suprà.

41. Cætera verò decreta, quæ tunc temporis, vti approbata ab vnico Capitulo Generali, vim Ordinationum, non Constitutionum habebant, licèt transierint postmodum in formam Constitutionum per successiuam approbationem Capitulorum Generalium; Nihilominùs tunc temporis comprehensa remanserunt sub eadem Confirmatione, in figura tamen Ordinationum, non Constitutionum; adeoque semper verum erit assertum, totum volumen Constitutionum cadere sub Confirmatione Clementis VIII.

42. Prædicta autèm non euertuntur ex eo, quod in alio præcedenti Breui Clementis VIII. anno 1592. emanato super separatione Congregationis Fuliensis ab Ordine Cisterciensium dictum fuerit. *Monachos non teneri, nisi ad obseruantiam Regularem, & ad Constitutiones per nos: & dictum Alexandrum de Franceschis declaratas, post quàm adita, & per nos confirmata fuerint, seù imposterùm per fratres dictæ Congregationis edendas, & statuendas, & per nos, & dictam Sedem confirmandas.* in qui-

A 6 bus

bus verbis præsupponi videtur necessitas confirmationis Apostolicæ in ordine ad Constitutiones futuras.

43. Quandoquidem prò congrua responsione præmittendum est in facto, quod tempore emanati dicti Breuis, Congregatio non habebat Constitutiones formales, sed paucas dumtaxat prouisionales in vnum collectas de ordine dicti Pontificis per Alexandrum de Francoschis, quà de re valdè æquum, & rationabile erat, vt in casum publicationis Constitutionum formalium intercederet approbatio, & confirmatio Sanctæ Sedis prò illarum robore, & firmitate, vt in similibus practicari solet; & hac ratione compilatis postmodum anno 1595. eodem Pontifice permittente, Constitutionibus formalibus cum expressa facultate illas corrigendi, & abrogandi, nouasque condendi, idem Clemens VIII. per aliud speciale Breue illas confirmauit.

44. Hoc autèm præmisso, clara exindè emergit responsio ad supradicta verba præcedentis Breuis ibi- *imposterùm per fratres edendas, ac per nos, & dictam Sedem confirmandas* - Ommisso enim, quod præfata verba intelligenda sunt de Constitutionibus confirmandis quatenùs conformatione indigeant, & sint Iuri communi contrariæ secus si Iuri non aduersentur, & consequenter etiam absque authoritate Apostolica substineantur, iuxtà authoritates superiùs adductas, illa percutiunt dictas Constitutiones formales posteà æditas, & ab eodem Pontifice confirmatas, non autèm alias futuris temporibus ædendas ad vulgar. regulam *text. in leg. Boues §. hot. sermone ff. de verb. obligat.* Eà maximè accedente ratione, quod sequuta semel approbatione Constitutionum formalium, cum facultate in futurum condendi nouas, & abrogandi antiquas, istæ, quæ de nouo æduntur, vel in futurum ædentur, censentur generaliter approbatæ per dictam Constitutionem confirmatoriam Clementis VIII. complectentem omnes Constitutiones, tàm æditas, quàm ædendas, vt suprà firmatum fuit.

45. Et quod talis fuerit sensus prædicti Breuis anni 1592. satis declarauit subsequuta obseruantia, dùm non solùm nostra Congregatio nunquàm obtinuit confirmationem Apostolicam in eius legibus, & decretis posteà æditis, sed etiàm Congregatio ipsa Fuliensis Galliæ anno 1637. nouas Constitutiones in volumen redegit, nulla desuper obtenta Confirmatio-

ne Apostolicæ; Nimis autèm notum est, subsequutam obseruantiam esse optimam interpretem cuiusuis dispositionis, etiàm Pontificiæ. *Canaler.decis.80.num.3. & Rota in recentior. decis.216.num.6.par.13.& decis.6.num.7.par.14.*

46. Quin officiat aliud Breue Vrbani VIII. separatorium nostræ Congregationis ab illa Galliæ, quia in eo nihil disponitur de Confirmatione obtinenda, sed tantùm enunciatur veritas facti, nempè statuta, & Constitutiones nostræ Congregationis esse Apostolicà authoritate roborata, quod vtique attento supradicto Breui Clementis VIII.verissimum est, etiam quoad futuras sed non exindè inferri potest ad obligationem procurandi nouam Confirmationem, quia simplex enunciatio præsuppositiua facti præteriti etiàm in Bullis Apostolicis non disponit, neque inducit obligationem ad futurum ad notata per *Roman.cons.191.num.4. & 5. Gregor. decis. 298. num. 2. vbi Adden. cum alijs apud Card.de Luc.de legat.disc.46. n. 9.& 10.*

47. Nec obligatio huiusmodi nouæ Confirmationis obtinendæ deduci tandë valet ex decreto Capituli Generalis vltimo loco celebrati, tum quia id factum fuit ad tollendos scrupulos, & ad abundantiorem cauthelam, quæ nunquam præiudicat, *Rota coràm Dunoz. decis. 640. num.25. & 26. & decision.830. nuerm.* 24 Tum quia aderant multa decreta imprimenda, sed nondum à duobus Capitulis Generalibus continuatis confirmata.

48. Descendamus modo ad tertium fundamentum Partis aduersæ in eo positum, quod modernæ Constitutiones aduersentur in pluribus dispositioni Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini, nec non Regulæ Diui Benedicti; & profectò istud detegetur omnibus alijs magis irrelevans, siuè examinando Constitutiones in genere, siuè singillatim, & in specie.

49. In genere quidem, quia Constitutiones antiquæ confirmatæ fuerunt à Clemente VIII. *Tamquàm non repugnantes Sacris Canonibus, & Concilio Tridentino*, vt ex illis verbis Breuis — *Renunciauerint nobis, eas sacrorũ Canonum, & Concilij Tridentini decretis minimè aduersari, & nihil in eis, nisi pium, sanctum, & ipsius Congregationis rationibus, & vtilitati accommodatissimum contineri* - ergò, quo ad decreta, quæ à dictis antiquis Constitutionibus translata ad vnguem fuere ad modernas, obiectio Partis non subsistit.

50. Eoque minùs, quo ad alia decreta de nouo adiecta, quià aut fue-

fuerunt desumpta ab exemplo, & Constitutionibus aliorum Monachorum, vel peracta vigore particularium Priuilegiorum, aut cum facultate, & approbatione Sacræ Congregationis, quæ proindè dici non possunt, nisi conformia Sacrorum Canonum, & Concilij Tridentini Decretis vt per *Fagnan. in cap. Quoniam num. 6. 8. 21. & 66. de Constit.*

51. In specie verò, quia examinando singulas Constitutiones ex aduerso impugnatas, nulla quidem repugnat directè, vel indirectè Sacrorum Canonum, aut Concilij Tridentini Decretis.

52. Oppugnatur enim primo loco numerus quintus Cap. secundi, defendendo, quod Abbas Generalis non possit visitare per alios iuxtà Decretum *Sacri* Concilij in *cap. 20. sess. 25. de Regular.* quodque Comitiua Assistentis, secretarij, & vnius Conuersi, siue Donati sit contrà aliud Decretum eiusdem Concilij in *cap. 3. sess. 24.*

53. Verùm quàm frigida sit huiusmodi oppositio manifestè conuincitur, quià etsi visitatio regulariter expleri debeat per se ipsum, attamen concurrente legitimo impedimento, suppleri potest etiàm per alios iuxtà verba eiusdem Concilij in *cap. 3. sess. 24.* ibi *per se ipsos, aut, si legitimè impediti fuerint, per suum Vicarium, aut Visitatorem visitare non prætermittant.* & ità, vltrà praxim omnium Religionum, docent *Laur. de Peyrin. ideo subdit. Regular. quæst. prima de Obedient. cap. 18. Rodriguez. tom. 3. quæstion. Regular. quæst. 77. artic. 9. & quæst. 4. artic. 2. Lezan. tom. primo cap. 18. num. 92.* vbi solùm limitat, quando vellet deputari in Visitatorem aliquis Clericus Sæcularis, vel alius Religiosus alterius Religionis.

54. Comitatus autem trium personarum, compræhenso Conuerso non solùm non est excedens, sed modestissimus, & conformis Sacro Concilio, vtpotè ab eo relictus Iudicio, & modestiæ visitantis, vt decisum fuit à Sacrâ Congregatione Concilij in Forosemproniens. ... Decembris 1587. relat. per *Chrispin. in Visitat. Pastoral. part. 1. §. 17. num. primo* ibi *Episcopum modesto famulatu oportere esse contentum, præcisè autem numerum famulorum Concilium non statuit, sed Episcopi Iudicio, & modestiæ relinquit*, adeò, vt Diuus Carolus in eius Concilio Prouinciali primo decreuerit respectu Episcopi ascendere posse ad numerum quindecim personarum, moderatum posteà ad decem

decem in alio Concilio Prouinciali quarto ibi - *Nè plures, quàm homines decem, & iumenta septem ad summum in Visitatione conducant.*

55. Opponitur secundò, quod ex Generales frui non possint titulo Abbatis honorarij, cum præcedentia; & exemptione ab Officijs hebdomadarijs, ex quo obstet Concilium in *session. 25. cap. primo de Regular.* Constitutio Gregorij XIII. circà Abbates titulares, necnon Regula Diui Benedicti.

56. At facilis est responsio, quià respectu exemptionis, iuxtà receptissimam omnium Doctorum sententiam, dispensatio ab omnibus obseruantijs, & præceptis Regulæ, demptis substantialibus, remissa est arbitrio Prælatorum Superiorum, & signanter Capituli Generalis ex deductis *per Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 12. a num. 25. & 41. Rodriguez tom. primo quæstion. Regular. quæst. 26. artic. primo Lezan. tom. primo cap. 8. num. 23. & clariùs cap. 18. num. 34.* cum alijs *apud Passerini de stat. homin.* & ità expressè dispositum habemus in Constitutione Clementis VIII. inserta intèr Priuilegia Ordinis Cisterciensis.

57. Humanitas, præcedentia, & præheminentia conuenit magis Veteranis, & emeritis, quàm Iuuenibus, vt disertè inquit *Diuus Benedictus in Regula cap. 63. & Diuus Basilius sermon de abdicat. rer.* iuxtà illud Leuitic. 19. 32. - *Coràm cano capite consurge, & honora personam senis, Omnis enim seniori honor prò ætate reddendus est, assurgendo, & sessione cedendo, ait Aristoteles lib. 9. Æthicorum lib. 2.* Vnde de Lacedæmonijs scripsit *Tullius de senectute - Venientibus senibus omnes assurgere solebant, & eos sessum recipere-* quod de Romanis cecinit quoque *Iuuenalis Satyr. 13. - Credebant hoc grande nefas, & morte piandum; si Iuuenis vetulo non assurrexerat - tàm Venerabile erat præcedere quatuor annis -* Et ideò Abbates Generales officio functos, esse præ cæteris honorandos, etiàm cum exemptione ab officijs Communibus sancitum legitur in Constitutionibus Cisterciensibus, & docet Federic., de Senis in punctò Abbatis post Officium expletum *consil. 5. num. 2. in 4. quæstione, & consil. 19.* vbi quod ità seruatur de consuetudine. Et quod in memoriam pristinæ Dignitatis debeatur ei primus locus in Choro, & Conuentu post Abbatem exercentem docent in puncto *Ioan. de Lignan. in Clement. Nè in agro de Stat. Monach. ibique Ioan. de Imol. verf. In vltima quæstione Felin. in cap. Quæ in Ecclesia-*

A 8 *rum*

rum col. 38.num.8.in fin.de Constit. Tyraquell. in tract.cessante, Causa limit. 15.& Rot.decis.70.num. 10.par. 1. diuers. Et in nostris præcisis terminis Abbatis honorarij *Cardinal. de Luc. de Regular. in supplem.disc.76.n.5.* ibi- *Abbates Titulares, qui ad instar aliorum Monachorum viuunt sub regimine, & obedientia alicuius Abbatis, vel quia honoris gratia tales creati sunt, vel etiàm quia retineant hunc titulum, tamquàm reliquias actualis Abbatiæ, & administrationis prius obtentæ in duobus differunt ab alijs Monachis, Primò, &c. & secundò in magis honorificis sessionibus, & tractatibus post Superiorem in Choro, & in mensa, alijsque locis.*

58. Inter huiusmodi autem honores præcipuus, & non incongruus videtur titulus *Abbatis emeriti* eidem à Capitulo assignatus, quia præter quòd ista est quarta species Abbatum de iure Monachis permissa ad tradita *per Abbat. Panormit.in cons. 101.num.primo versic. Nam Papa, & Tamburin. de Iur. Abbat. tom.primo disput.3. quæsit.primo ad fin.* vbi quod tales Abbates nec dignitatem obtinent, nec Pontificalibus vtuntur, sed tantùm vocantur *Patres Abbates*, idemque tradit *Tusch. verbo Abbas conclus.3.num.16.* & de istorum vsù frequentissimo in Congregationibus Monasticis *Cardinal. de Luc. suprà relatus de Regular.discurs.76.num.primo,& per tot.* Itá quoque expressè disponunt Constitutiones Ordinis Cisterciensis *cap. 26.*

59. Hinc clarum remanet, præfatum decretum non aduersari Sacro Concilio, nec Constitutioni Gregorij XIII. quia in citato *cap.primo Sacri Concilij session. 25. de Regularib.* interdicitur solùm dispensatio circà substantialia Regulæ; vndè quo ad alia censetur positiuè permissa, sumpto argumento ab exceptione, quæ firmat regulam contrariam in casibus non exceptis, *Leg. quæsitum §. Denique ff.de fund.instruct.glos.in rubr. de regul.Iur.in 6.*

60. Eoque minùs Constitutioni Gregorij XIII. quia ista loquitur de numero Abbatum Titularium, quæ est species diuersa ab Abbatibus emeritis simplicis nominis, & honoris iuxtà authoritates Tamburini, & aliorum supra relatas.

61. Opponunt tertiò Monaci Camberienses electionem Superiorum cuiuslibet Monasterij esse de iure reseruatam omnibus Monachis illius Monasterij, non autem Capitulo Generali, prout disponitur in nouis Constitutionibus contrà for-

mam

mam *Textus in Can. Abbatem, & Can. quam sit* 18. *quaest.* 2.

62. Sed in vanum; nimis enim antiquata est istorum Canonum dispositio, vt satis euincit communis, & inconcussa omnium Monachorum, & Regularium obseruantia præter animaduersa per *Tamburin. de Iur. Abbat. tom. primo disput.* 5. *quaest. primo num.* 3. *& Passerin. de election. quaest.* 35. *num.* 3, & 4. vbi quod etsi de iure electio Generalium spectet ad totam Religionem; nihilominùs hodiè fieri non potest, nisi ab illis, qui secundum cuiuscumque Religionis statuta vocem habent, & totum Ordinem representant, & refert stylum plurium Religionum; & dum quo ad hoc habemus specialem Constitutionem Clementis VIII. prò nostra Congregatione, non est vlteriùs inuestigandum.

63. Non obstat similiter. Quarta oppositio, quod iuxtà decretum Sacri Concilij in eligendis in Abbates satis sit ætas viginti quinque annorum; non triginta, vt in modernis Constitutionibus præscribitur.

64. Etenim Sacrum Concilium ità disponens loquitur de Dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus non habentibus adnexam Iurisdictionem, non autèm de Abbatibus, & Generalibus Regularibus, in quibus requiritur grauitas morum, & ætas ad minùs triginta annorum iuxtà declarationes Sacræ Congregationis apud *Ricc. in prax. for. Ecclesiast. resol.* 56. *part.* 4. & *Nouar. in Lucern. Regularium verbo ætas num.* 5. vbi dicitur debere esse triginta annorum completorum; licèt *Bordon. resol.* 21. *num.* 23. asserat, id non esse de rigore Iuris, sed tantum de honestate, & conuenientia: Vltrà quod Concilium non irritat particulares Constitutiones, requirentes maiorem, & grauiorem ætatem, vt in casu &c.

65 Minusque vrget quinta oppositio, quo ad actus humilitatis externos absque superioris iussu iuxta Constitutiones non explendos: quia non impugnamus, quod huiusmodi actus possint esse generaliter meritorij, quamuis voluntariè gesti, sed tantum dicimus, abnegationem propriæ voluntatis in obsequium obedientiæ illos constituere in linea maioris, & superioris meriti, vt loquuntur omnes Theologi, & signanrèr *Diuus Thomas* 2. *pri; quaest* 186. *artic.* 8. *versic. respondeo* ibi--*Illud, quod fit ex obedientia est magis Deo acceptũ, quam id, quod fit per propriã voluntatem - voluntas enim propria habet pænam* inquit regula *Diui Benedicti in cap.* 7. & *necessitas parit Coronam* --

cùm

cum qua consonat dictum Diui Hieronymi *in epistol.ad Rusticum Monachum post med.tom.1.* ibi -- *Ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum* -- & post pauca subdit -- *Non facias, quod vis, comedas, quod iuberis, habeas quantum acceperis, vestiaris, quod datur; vndè, & ieiunium non redditur Deo acceptum cum propria voluntate* secundum illud Isaiæ 58. -- *Ecce in diebus ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra*.

66 Alias enim deficiente præcepto superioris, deficeret in Regularibus meritum Obedientiæ, & præcipuè meritum virtutis Obedientæ propriè dictæ, cuius obiectum est superioris præceptum formaliter, vt ex Diuo Thoma in summa *quæst.104. artic.2.* benè ibi explicat Caietanus.

67 Neque est immorandum in responsione ad sextam oppositionem circa tempus meditationis vespertinæ, & silentium omni tempore custodiendum, vt exaduerso prætenditur; quia in his plenè satisfacit doctissima epistola responsiua Patrum superiorum, cui me libenter subscribo.

68 Opponunt septimo, permittendum non esse vsum Organorum in nostris Ecclesijs, tamquam Monachis interdictum, inuehente maximè contra illorum vsum Diuo Bernardo *in cap.11.* Apologiæ ad Guglielmum Abbatem.

69 Verum pro responsione sat est adducere communem praxim, & obseruantiam omniū Congregationum Monasticarum Italiæ, cum qua consonant speciales Constitutiones earumdem, & signanter *Olivetan.cap.20.pag.40.Cassinen.cap.26.pag.62. num.12.& Camaldulen cap.19.pag.112.Cistercien.Italiæ.*

70 Quamuis enim organorum vsus non sit ad seruitium Diuinum omninò necessarius, cum nec in Cappella Papæ admitti consueuerit, vt ex Caietan. ad Diuum Thomam testatur *Sot.de Iustit.& Iur.lib.10.quæst.5.artic.2.* Nihilominus vbi introductus fuerit, non est improbandus, cum vadè conferat ad decorem, & magnificentiam templi, & ad excitandum spirituale gaudium in Populo, vt docet *Diuus Thomas 2. secundæ quæst.91.* cum alijs relatis per *Card. Bonam de Diuin.Psalmod. cap.17.nu.5.& Durant.de ritib. Ecclesl.lib.1.cap.13.num.2.& 3.* inquit enim *Diuus Augustin.in epistol 119.ad Ianuar cap. 18. Vna in his saluberrima regula retinenda est, vt quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid excitatiuum Pietatis, vbicumq; institui videmus, vel instituta cognoscimus,*

stimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando, & imitando sectemur.

71 Neque ex eo, quod spatio plurium sæculorum Monaci se abstinuerint ab huiusmodi vsu, indè inferri potest ad illius reprobationem, quia si hoc argumentum vrgeret, organorum vsus esset ab omnibus Ecclesijs indiferenter Eliminandus, cum Bellarminus fateatur, Ecclesiam per octingentos viginti annos hoc Instrumento caruisse, & teste Caietano, quem refert, & sequitur *Nauarr. de hor. Canonic. cap. 16.* superstite adhuc Diuo Thoma Aquinate, vsum organorum non inualuisse, licet verior, & communior sit sententia Platin. Ioannett. & aliorum complurium, organa audiri cæpisse in Ecclesia circa annum Domini 660. regnante Vitaliano, vt apud *Durant. de rit. Eccles. dicto lib. 1. cap 13. num. 2. & Cardinal. Bon. citato cap. 17. num. 5. vers. hac Organa.*

72 Diuus autem Barnardus, seù potius Sanctus Arledus Abbas Riæuallis illius Discipulus, vna cum alijs antiquioribus instrumenta musicalia damnantibus in Ecclesia loquuntur de Organo permixto cum cantu figurato in Ecclesijs Monachorum, non de facili ob distractionem mentis admittendo, vt patet ex verbis Diui Bernardi ibi -- *Non est leuis iactura gratia spiritualis, leuitate Cantus abduci à Sacra Scriptura sensuum vtilitate, & plus sinuandis intendere vocibus, quam insinuandis rebus* -- & clarius ex alijs eius Discipuli *Ærledi in lib. 2. Specul. Charitat. cap. 23.* ibi - *Vnde in Ecclesia tot organa? tot Cimbala? ad quid, rogo, terribilis ille follium flatus, tonitu i potius, fragorem, quam vocis exprimens suauitatem? Ad quid illa vocis contractio, & infractio? Hic succinit, ille discinit, alter supercinit: Nunc vox stringitur, nunc frangitur, nunc impingitur, nunc effusiori sonitu dilatatur: aliquando (quod pudet dicere) in equinos innitus cogitur, aliquando virili vigore deposito, in fæminea vocis gracilitates acuitur; nonnumquam artificiosa quadam circumuolutione torquetur, & retorquetur: interim histrionicis quibusdam gestibus totum corpus agitatur; torquentur labia, rotantur oculi, Ludunt humeri, & ad singulas quasque notas digitorum flexus respondet: & hac ridiculosa dissolutio vocatur Religio? & vbi hæc frequentius agitantur, ibi Deo honorabilius seruiri clamatur?* -- hactenùs ille: Vnde constat, quod prohibitio referenda est non ad simplicem organorum vsum, sed ad cantum musicalem Monacis parum congruum, quia iuxtà

Diuum

Diuum Isidorum Hispalen, *lib. 1. de Eccl. Offic. cap. 12. vox illorum debet resonare melodiam Sanctæ Religioni congruentem, non quæ traducem exclamet artem, non quæ musico gestu, vel theatrali artem redoleat, sed quæ compunctionem audientibus magis faciat.*

73 Inuehunt Octauo Aduersarij contra aliud decretum infligens pænam in delictis carnis etiam ex sola vehementi suspicione violationis afferentes pœnas grauissimas impositas esse delictis manifestis, non simplici suspicioni.

74 Ast longè aberrant à Iuris Canonici sanctionibus; quia, & si Imperator Traianus Seuero rescripserit *in leg. absentem ff. de pœnis suspicionibus nec debere aliquem damnari, satiusque esse impunitum relinqui facinus, quam innocentem damnari*, nihilominùs nimis vulgatum est in huiusmodi delictis clanculum perpetrari solitis, & in quibus Testes non adhibentur procedi per præsumptiones indicia, & coniecturas. *Menoc. de arbitr. lib. 2. cent. 2 cas. 116. & de præsumption. lib. 5. præsumption. 41. per tot. Mascard. de probat. conclus. 57. num. 6.* adeout violenta suspicio habeatur pro plena probatione, vt communiter docent ex littera *Text. in cap. Litteris de præsumptionibus, & Glos. in cap. Litteras 14. eodem titulo verb.* vehementem ibi -- *Item vehemens præsumptio pro probatione accipitur -- Can. dixit 32. quæst. 1. Anton. Matthæu de re criminal. tit. 15. de probat. cap. 6. Morla in empor. Iuris tit. vltimo quæst. 1. Farinacc. in prax. quæst. 86. num. 55. Larrea allegat. fiscal. 66. per tot. Boss. de patr. potest. cap. 3. ex num. 75. Clar. §. final. quæst. 20. num. 57. Peguera decis. 17. 43. & 44.* ad effectum tamen pœnæ extraordinariæ, non autem ordinariæ, & vltimi supplicij, vt fusè apud *Gratiol. verb. indicia indubitata num. 1. & seqq.*

75 Similiter non aduersatur nona oppositio de vsu Balneorum externorum absque licentia Capituli, vel Abbatis Generalis non admittendo quia in hoc sunt clarissimæ Constitutiones ferè totius Ordinis Monastici; & signantèr Cassinensium *in cap. 36. Regul. num. 8.* ibi -- *Ad Balnea vero, quæ sunt extra Monasterium propter periculum animarum nemo accedere præsumat sine licentia speciali Capituli generalis --* Camaldulensium Eremitarum *in cap. 36.* ibi -- *Balneorum vsus rarò, vel numquam si fieri potest concedatur, quod si vrgens necessitas cogat, trium Medicorum consilio fiat de consensu tamen Capituli Generalis, vel intra annum maioris, & Visitatorum nisi domi Balneatio fiat --* Congregationis Montis Virginum *cap. 26.* ibi -- *Bal-*

neorum

neorum vsus non concedatur Monachis, nisi in magna necessitate, & vitæ periculo, ac de consilio Medici, si alijs remedijs subueniri non potest, habita tamen prius Abbatis Generalis, & diffinitorum licentia -- Cum quibus consonant illæ Hæremitarum Augustinianorum *part. 2. constit. cap. 14.* ibi -- *in magna, & euidenti necessitate, consilio Medicorum, & expressa superiorum licentia*, idemque tradit distinguendo inter Balnea domestica, & forensia *Maggius de Sacris Caremon. disquisit. 8. num lauacra sint adeunda num. 3. & seqq.* quamuis meliùs, & perfectiùs esset à balneis omninò abstinere, etiam in casum necessitatis, sequendo exemplum illorum Religiosorum, quos refert Vmbertus in Regula Sancti Augustini *cap. 122. qui numquam Balneis vtebantur pro quacumque necessitate* -- vt de Sancto Fulgentio ait auctor vitæ *cap. 30.* & de Siluania, Isidoro, & Euagrio Palladius in Lausiaca, vnde Sanctus Iacobus Apostolus adeo laudari meruit à D. Hieronymo *in lib. de script. Ecclesiast. ex quo numquam Balneis vsus fuisset.*

76 Obijcitur decimo quod necessaria non sit superioris Regularis licentia pro audiendis sæcularium confessionibus, dum ad hoc Tridentinum præscribit approbationem Episcopi; Cui tamen obiectioni de facili occurritur, animaduertendo, quod Sacrum Concilium requirit quidem approbationem Episcopi tamquam necessariam simpliciter, sed non aufert illam superioris Regularis respectu Confessariorum Regularium, quorum mores meliùs sibi innotescunt, quam Episcopo, & ideo in his terminis vltrà licentiam Episcopi requiri etiam illam Prælati Regularis decisum referunt *Lezan. in Summ. verbo Confessarius num. 2. & 3. Oper. moral. tom. 3. part. 1. cap. 19. num. 13. & Bassius de Iubileo sect. 3. cas. 255. num. 178.* remanente dumtaxat quæstione, an absolutio contra præceptum superioris esset valida, de qua plenè *Leander. oper. moral. tract. 5. de Pœnitent. quæst. 75. 76. & 78.*

77 Eiusdemque farinæ est altera oppositio in ordine 11. videlicet, quod iuxta aliud decretum Sacri Concilij *in cap. 7. session. 14. solum atrociora, & grauiora crimina debeant reseruari*, quia hæc dispositio procedit respectu Sæcularium, non Regularium, in quibus, tamquam incumbentibus maiori perfectioni, casus minus graues habentur pro grauioribus, quoties præsertim concernunt tria substantialia Regulæ, adeoque possunt à Capitulo Generali reseruari etiam alij casus præter con-

contentos in decretis Clementis VIII. vt monet *Lezan. part 2. cap. 12. & Suarez. tom. 4. de Religion. tract. 8. lib. 2. cap. 18. num. 15.*

78 Et omittendo responsionem adea, quæ respiciunt licentiam abstinendi penitus à vino, circa quod confert illud Diui Basilij *sermon. 1. de testament. Monachor. Vinum neque omninò respui debet, neque studiosè nimis exquirendum* -- dispensationem à ieiunijs tempore æstiuo, iuxta monitum Diui Hieronymi *epistol. 2. ad Nepotianum* ibi -- *tantùm tibi ieiuniorum modum impone, quantum ferre potes sint tibi moderata, & simplicia, non superflua ieiunia* -- Destinationem horæ pro refectione vespertina, Hospitum permanentiam, & mensam Abbatis cum similibus, quibus egregiè satisfecerunt Patres in eorum epistola responsiua.

79 Transeo ad euertendam 12. oppositionem in eo positam, quod ætas decem, & septem annorum ad Professionem Clericorum præscripta aduersetur *Sacro Concilio in cap. 15. sess. 25. de Regular.* requirente ætatem sexdecim annorum tantum.

80 Et duplici responsione subuertitur: Prima quod Sacrum Concilium tollit dispositionem, & Canones præscribentes minorem ætatem, non autem particulares constitutiones, requirentes maiorem, quoties non tantum interdicant, sed irritent, vt docet *Fagn. in cap. Qui Presbyterum num. 85. de Penit. Lezan. Rodriguez. Mirand. Peyrin. Barbos. Nonar.* & alij infra allegandi.

81 Et secunda, quod simile decretum est ferè commune alijs Religionibus, præsertim Monasticis, vt de illa Cappuccinorum, requirente annum completum decimum octauum testatur *Fagnan. in cap. Nullus num. 14 de Regular.* & de alijs Minimorum, & Redemptionis Captiuorum *in cap. qui Presbyterum num. 85. de Penit. & remiss. & Lezan. in Summ. verbo professio num. 11. in fin.* Immo cum in nostra insertum reperiatur per ipsissima verba in antiquis Constitutionibus, nescitur qua ratione ad eo acriter criminetur ab opponentibus, qui totis viribus se iactant asserere, & vendicare Constitutiones antiquas?

82 Accedit denique Constitutio Clementis VIII. quæ mandat circa ætatem profitendorum seruari debere in vnoquoque ordine pecularias ordinationes.

83 Vrgent vlterius XIII. non esse in facultate Religionis irritare

Pro-

Professiones illorum, qui alterius habitum gestauerint. sed reuera obiectio non viget, ex quo hæc Constitutio emanata pro bono publico, & ne aliàs ad habitum admittantur ab alijs Religionibus eiecti, vel alio modo criminosi, viget in omnibus alijs Religionibus, & est vndè quaque prudens, & valida ex firmatis per *Passerin. de stat. homin. tom. 3. artic. 19. inspect. 3. num. 127. vers. cæterum, addens rationem, quia cum in contractibus liberum sit Partibus apponere conditiones sub pena nullitatis, & Professio sit quidam contractus vim non habens, nisi recipiatur à Religione, liberum est Religioni non acceptare Professionem, nisi Professus sit huius, vel alterius qualitatis.*

84 Quod est adeo verum, vt si constitutiones non haberent Decretum irritans, Professiones aliter factæ, non inualidenrur adnotata in puncto per *Rodriguez. tom. 3. quæst. Regular. quæst. 17. artic. 20. Mirand. in Manual tom. 1. quæst. 24. artic. 2 conclusion. 2. Peyrin. de subdit. Regular. tom. 1 cap. 26. §. 3. Sanchez. in Decalog. lib. 5. cap. 4. num. 4* sic decisum à Sacra Congregatione Concilij referunt *Barbos. de Iur. Eccles. lib. 1. cap. 42. num. 141. & Nouar. Lucern. Regular. verbo Professio num. 16. & 17.*

85 Præsertim aduertendo, quod Professio, tamquam contractus vltro, citroque obligatorius. *Nauar. consil. 26. num. 1. de Regular. Fagnan. in cap. si quis num. 45. & cap. Perrectum num. 19. de Regular. Donat. de Regular. part. 4. tract. 10. quæst. 1. num. 2.* Requirit consensum Religionis, qui in tali casu, vti conditionatè præstitus, conditione non purificata, remanet ipso Iure nullus vna cum ipsa Professione, vt benè arguit doctissimus *Nauarr. consil. 87. num. 1 de Regular. tom. 1.* ibi -- *Tum quia Professio fuit contra legem, habentem decretum irritans; Tum etiam quia Professio est in effectu vltro, citroque obligatoria; & ità est necessarius consensus vtriusque Partis, & in casu proposito defuit consensus Prælati, quia fuit præstitus sub conditione si non esset de tali genere, vel &c. & ita defuit conditio, sub qua fuit admissus, & consequenter ipsa admissio fuit nulla quia dispositio conditionalis nulla est, deficiente conditione.*

86 Nihil quoque releuat 14. oppositio in ordine ad decretum, quod possit in ingressu aliquid recipi à Nouitijs, seù ab eorum consanguineis pro eorum victu, & vestitu dumtaxat, quia, & si pro ingressu in Religionem nihil liceat recipere, id tamen non procedit quo ad necessaria pro subsistentatione vitæ, vt clarè habetur in eodem *cap. 16.* ibi -- *excepto victu, & vestitu.*

87 Im-

87 Immò huiusmodi prohibitio nec extenditur ad eleæmosynas modicas; & moderatas, ex quo finis Sacri Concilij fuit dumtaxat prouidere, ne Nouitij per donationem totius, seu maioris partis suæ substantiæ retraherentur à discessu, iuxta communem sententiam, de qua apud *Garz. de Benefic. par. 11. cap 9. num. 17. Lezan. in Summ. cap. 24. num. 35. versic. possunt* Tamburin. *de iur. Abbatiss. disput. 4. quæst. 10. num. 9. & de Iur. Abbat. tom. 3. disput. 6. quæst. 10, num. 17.* cum alijs apud *Barbos. ad Concil. dicto cap. 16. num. 7.*

88 Et vlteriùs, quod Sac. Concilium non comprehendat oblationes, & donationes, etiam excessiuas, dummodo fiant à Parentibus de proprijs bonis, non autem de bonis Nouitiorum docent idem *Tamburin. d. tom. 3. disput. 6. quæst. 10. num. 21. Barbos. ad Concil. vbi supra num. 11. & Gallamart. in declaration. ad dictum cap. 16. num. 10.*

89 Eadem facilitate refellitur 15. quod admitti non debeant donati, siue oblati ad solemnem Professionem in eodem habitu donatorum contra dispositionem *Textus in cap. Ne nimia de Religios. Domib. & in cap. Religionem eodem titulo in 6.*

90 Canones siquidem adducti prohibent dumtaxat Cōgregationes, seu conuenticulas hominum in communi viuentium absque approbatione Summi Pontificis, vt patet ex illorum lectura; de admissione verò donatorum, seu oblatorum ad solemnem Professionem In Religionibus approbatis nec verbum, quia hoc etiam in eodem habitu oblatorum non est de genere prohibitorum, vt patet, tam ex decretis Clementis VIII. super receptione, & educatione Nouitiorum, quam exanimaduersis per R*odriguez. quæst. Regular. tom. 3. quæst. 69. art. 8. & quæst. 52. artic. 7. Lezan. tom. 1. part. 2. cap. 8. num. 1. & 2. Passerin. de stat. homin. tom. 2. quæst. 187. artic. 4. num. 220.* qui omnes aduertunt, duplex esse genus oblatorum, siuè donatorum; Aliud illorum, qui tria vota substantialia emittunt, & isti sunt simplicitèr, & veri Religiosi; Aliud non Professorum, & isti censetur tantum personæ Ecclesiasticæ, concurrentibus tamen nonnullis requisitis, de quibus apud prædictos.

91 Et licet inter alia requisita præcipuum sit mutatio habitus ex notatis per *Hostien. & alios apud Fagnan. in cap. vt Priuilegia num. 23. de Priuileg.* Id tamen intelligitur non de habitu Regulari, & Monachali, sed de tali mutatione habitus illum distinguente à statu sæculari, vt benè explicant mox laudati

Do-

Doctores, & signantèr *Fagnan. eoque laudato Passerin. dicto tom.2.quæst.187. artic.4. num.221.*& in puncto, quod possit fieri professio solemnis etiam in eodem habitu oblatorum, dummodò emittantur tria vota Secundum Regulam approbatam ex Priuilegio Gregorij XIII. concesso Congregationi Benedictinorum Vallisoletanorum notat *Lezan.dicta par.2. cap.8.num.2.& num.59.*

92 Dicunt etiam 16.quod in Constitutione prohibitiua recipiendi Professos in alia Religione præter Cisterciensem debebat saltem præseruari authoritas Summi Pontificis; sed quis adeo supinus, & ignarus est, vt non sciat, authoritatem superioris, & præsertim Christi interris Vicarij semper in quacumque lege intelligi præseruatam? iuxta tradita per *Soccin. cons.302.num.6.*ibique *Felin.lib.2.Alexand. consil.16. num.32. lib.5.Ruin.consil.127. num.4. lib.4.* & in terminis durioribus ipsius Papæ confirmantis *Rot.decis.127.numero 11.part.9. recentior.*

93. Nec dissimilis ponderis est altera obiectio in ordine XVII. Quod Decretum requirens approbationem Superioris in eo, qui vult se abstinere à celebratione quotidiana ratione alicuius impedimenti durum videatur, & quodammodò contrarium decretis Clementis VIII. prohibentibus, nè Superiores adstringant Subditos ad sibi confitendum;

94. Quoniam hic non dicitur, quod impedimentum animæ quatenus adsit, detegi debeat Superiori per Sacramentalem, de de qua loquitur Decretum Clementis VIII., sed per extraiudicialem Confessionem iuxtà præscriptum Regulæ, mandantis, quod Superiori aperiri debeant etiam malæ cogitationes Cordis;

95. perfecta enim Obedientia Euangelica ex præscripto Regulæ, potest adstringere in aliquo casu, etiam ad actus internos ex *Suarez. de Religion. tom. 3. cap. 9. num. 5. Peyrin.de subdit. Regular. quæst. prima cap. 6. Layman. Oper. moral. lib.4. tract.5.cap.9. num.5.* vbi ait, non esse improbabile, quod Religiosi aliquarum Religionum, in quibus viget strictior obseruantia se obligent etiam ad huiusmodi Obedientiæ seueritatem.

96. Et quamuis regulariter votum ad id non se extendat ex Doctrina Angelici Doctoris in summa *quæst.104. art. 5.* cum alijs apud *Donat.de Regular. tom.3. tractat.17. quæst.19. Anton.*

ton. à Spirit. Sancto in Direct. tractat. 3. disputat. 6. num. 82. & Tamburin tom. 2. de Iur. Abbat. disputat. 21. quæst. 5. num. 2. Nihilominus id non tollit, quin possit promitti etiam quo ad actus internos, vt respondendo authoritati Diui Thomæ tradunt Suarez, Peyrin, & Layman cum *Passerin. de stat. homin. tom primo quæst. 186. artic. 8. num. 217.* Et maximè quando actus interni habeant, vt hic correlationem cum externis, vt explicant *Peyrin loco citato num. 3. & Passerin. ibi ad finem.*

97. Vltrà quod simile Decretum adest quoque in Constitutionibus Ordinis Cistercienfis *Cap. 55.* vbi punitur, qui à celebratione vacauerit, *absque Causa legitima Prælato notificanda*, & est quoque valdè notorium, Regulares abstinere non posse à quotidiana celebratione absque causa, & Superioris licentia, si Constitutiones Ordinis ità præcipiant, *Hurtad. tom. primo resution. moral tractat. 2. cap. 2. num. 23.* & eo citato, *Pasqualig. de Sacrific. Miss. quæst. 845. num. primo & seqq.* Vbi quod obligatio Regularium ad celebrandum semper metiri debet à Constitutionibus vnius cuiusque Religionis.

98. Quemadmodum non obstat quod XVIII. loco opponitur, videlicet, abolendum esse, vti contrarium Sacris Canonibus aliud Decretum, quod nullus in Capitulo accusari, vel denunciari possit, nisi de Crimine manifesto, vel per iudicialem confessionem, vel per sententiam Iudicis antè intimatum Capitulum Generale prolatam.

99. Quippè huiusmodi Decretum est in omnibus conforme, tam dispositioni Iuris, quam Constitutionibus aliorum Ordinum.

100. Dispositioni Iuris, secundum quam nemo in Capitulo priuari potest voce, siuè actiua, siuè passiua, nisi fuerit præcedenter per Sententiam de delicto irrogante infamiam conuictus, & condemnatus, ne alias detur ansa Superioribus inhabilitandi Monachos inuisos, vel non benè affectos sub prætextu impicti Criminis, vt ex Communi Sententia *Hostiens. Ioann. Andr. Felin. & Innocentij in Cap. Vintonien. num. 6. de election. docent. Castellin de election. cap. 5. num. primo & sequentibus Passerin. eodem tractat. cap. 10. numer. 126. & 130. cum pluribus seqq.* vbi ampliat, etiamsi ageretur de delicto notorio, nam adhuc requiritur declaratoria,

101.

101. Constitutionibus verò aliorum Ordinum, quia idem dispo- nitur in illis, tàm Cassinensium, quam Cisterciensium Italiæ, vt in facto, & de Ordine Prædicatorum, non admittente priuationem, nec in Capitulo. nec per duos menses antè testatur *Passerin. de election, cap. 2. num. 74. & 75.*

102. Minùs quoq; aduersatur XIX. quod in electione Officialium Capituli Generalis desiderentur scrutatores à Iure communi requisiti iuxtà Textum in *cap. Quia propter de election.*

103. Siquidem non solum in antiquis Constitutionibus leguntur duo in Scrutatores, deputati, sed vlterius in nouis additus fuit Sectetarius loco tertij; Et nihilominus quando etiam forent duo Scrutatores tantum, adhuc non obesset, quia forma, *Cap. Quia propter*, seruada est in electione Abbatum, & Prælatorum perpetuorum dumtaxat, secus in electione Superiorum ad certum tempus, vt decisum fuit *per Rot. in Treueren. Abbatia §. Neque etiam coram Coccin. teste Fagnan. in dicto Cap. Quia propter num* 20.

204. Et denique omnino spernenda est altera oppositio, tàm circà binas voces Præsidentis, & Superioris Generalis, quam circà illius alternatiuam electionem.

105. Nam quo ad dupplex suffragium, reperitur dispositum in antiquis Constitutionibus, & passim seruatur inter alias Monasticas Congregationes; & nostra Congregatio habet, quo ad hoc speciale Priuilegium: Vnde non aduersatur decretum Sacri Concilij *in Cap 6. session.* 25. quod non loquitur de Regularibus, & expressè præseruat Constitutiones particulares in contrarium.

106. Quò verò ad alternatiuam Generalis; Qui eam dicunt sapere diuisionem, reminiscantur quæso de Causa separationis nostræ Congregationis ab illa Galliæ, & fateri cogentur, quod sicut vnicè processit ab exclusione alternatiuæ, ità illa summa cum ratione fuit à Sacra Congregatione, approbante Summo Pontifice, nostræ, & ferè omnibus Monasticis Congregationibus elargita.

107. Licet enim generaliter huiusmodi alternatiua, tanquam læsiua libertatis, de Iure statui non possit à Capitulo Generali ex firmatis *per Castellin. de election. Cap. vnic. nu. 36. Rot. decis. 65. num. 4. part. prima recentior.*; Nihilominus hoc limitatur, accedente, vel consensu omnium Capitularium; vel

vel speciali Priuilegio Summi Pontificis, vt plurimum concedi solito per organum Sacræ Congregationis, ipsum Principem repræsentantis, per ea, quæ in terminis aduerit *Donat. de Regular. part. 3. tract. primo quæst. 10. num. 2.* vbi quod ità practicatum fuit in multis Capitulis Generalibus, & Ordinis Prædicatorum, & Minorum. Et *Passerin. de electhion. cap. 2. num. 60. & 61.*

108. Eamque semel statutam esse omninò seruandam sub pœna nullitatis, vti absolutũ docent *Castellin. de electhion. c. 11. n. 31. Donat. d. part. 3. tract. primo qu. 32. num. primo cum alijs apud Passerin. d. cap. 2. num. 62.* vbi tamen hoc verum dicit, si in lege statuente alternatiuam adsit decretum irritans.

109. Expeditus, licet serò, ab hisce particularibus Oppositionibus, superest modo, vt respondeam vltimo fundamento, in quo Camberienses magis insistunt, nempè nullitatis modernarum Constitutionum, ex quo in Capitulo Generali anni 1667. prout in alijs subsequentibus non interfuerint Discreti iuxtà numerum à Constitutionibus præscriptum, prætendentes exindè nulla, & inualida omnia alia, quæ fient etiam imposterum vsque ad illorum reintegrationem.

110. Verùm dupplici solidissima responsione prætensa Nullitas mihi euitari videtur.

Altera nempè, quod huiusmodi Discretorum interuentus in Comitijs non requiritur, nec de iure, nec vigore Regulæ, nec in vim Constitutionum.

111. Non de Iure, nec vigore Regulæ, quia Sacri Canones nunquàm somniarunt aliquam mentionem habere de Discretis, cùm nil aliud præscripserint, nisi quod electio Abbatis spectet ad omnes Monachos Monasterij, vt videre est in *Canon. Abbatem, in Cap. Quia proptèr, & in alijs exaduerso congestis Rot. decis. 65. part. 1. Recentior., & decis. 296. num. 5. coràm Coccin.* Idemque, & nihil aliud insinuatur in *Cap. 3. & 64.* Regulæ exaduersò relatis, vt ex illis verbis -- *In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, quam sibi omnis concors Congregatio elegerit* --

112. Quotiès itaque hodiè antiquata in hac parte Sacrorum Canonum, & Regulæ dispositione electio Abbatis, aliorumque Superiorum, tàm in nostra, quàm in omnibus ferè Congregationibus Monasticis Italię, nec non in alijs Religionibus

Men-

Mendicantium deuoluta est ex Iure nouissimo ad Capitulum Generale, vt respectu nostræ Congregationis clarè disponitur in antiquis Constitutionibus. Clementina Constitutione confirmatis, Monaci particulares vniuscuiusque Monasterij denudati, & priuati illicò remanserunt omni Iure circà prædictam electionem, & debet in omnibus seruari forma particularium Constitutionum, vt in terminis indiuidualibus firmat *Tamburin. de Iur. Abbat. tom. 1. disputat. 5. quæsit. 1. num. 3.*

113. Absque eo, quod dici valeat, quod immò ex eo, quod hodiè omnes Monachi ad Comitia Generalia accedere non valent, ideò mittendi sint Discreti nomine singulorum Monachorum repræsentantes Ius illius Monasterij particularis.

114. Nàm respondetur, quod Ius Monasterij, & Monachorum particularium æquè benè, & meliùs repræsentatur in Abbate, vel Prouinciali, in cuius, tamquam Superioris, voluntate residet voluntas Omnium Subditorum, absque alia necessitate Discretorum, qui potiùs confusionem, & partialitates, nec non dispendium pariunt Congregationi, ex quibus, & similibus Causis huiusmodi Discretos fuisse in pluribus Religionibus, prout in nostra, penitùs suppressos testatur *Lezan. Oper. Moral. tom. 1. part. 2. cap. 12. num. 17. versic. nota tamen.*

115. Multoque minùs vigore Constitutionum antiquarum; Nàm illæ potuerunt à Capitulo non solùm corrigi, moderari, sed etiam penitùs aboleri, accedente approbatione duorum Capitulorum Generalium, vt fusè superiùs ostensum fuit in responsione ad primum fundamentum: Ergo si Discreti potuissent à Capitulo in totum aboleri, prout de facto aboleti & suppressi fuerant de annis 1614. 1620. 1622. & 1628. quantò faciliùs potuit de annis 1664. & 1667. illorum numerus reduci ad binos prò qualibet Prouincia? Qui enim potest plùs, potest etiam minùs; Et de maiori ad minùs valet argumentum, *Authent. nullo magis Cod. de Sacrosanct. Eccles.*

116. Altera verò responsio est, quod, dato etiam, sed nunquam concesso, quod in Capitulo anni 1667. debuissent interuenire plures Discreti, quàm in numero præscripto in antecedenti dicta anni 1664. Nihilominùs dùm nemò ex eis comparuit, nec protestatus fuit de huiusmodi nullitate, Capitulum, & electiones hodiè ampliùs de Nullitate notari non possunt; sed remanserunt vndequaque validæ.

117. Et

117. Et ratio est, quia cùm electio propter contemptum aliquorum Vocalium de Iure Canonico non sit ipso Iure nulla, sed annullanda veniat ad instantiam Contemptorum, attento quod vocatio Vocalium non est de substantia, sed illius omissio est solum iniusta, & iniuriosa, vt communiter firmant *Panormit. in Cap. Quia propter num. 12. & in cap. Bona num. 1. & 6. de election. Castellin. eodem tit. cap. 8. num. 1. Donat. de Regular. part. 3. tract. 4. quaest. 21. cum alijs apud Barbos. de Iur. Eccles. lib. 1. cap. 1. num. 113. Tamburin. de Iur. Abbat. tom. 1. disputat. 5. quaest. 3. num. 2. Peyrin. de subdit. Regular. quaest 1. cap. 31. §. 6. versic. Respondeo.*

118. Consequens est, vt ipsis Vocalibus contemptis de contemptu non opponentibus, & nullitatem non curantibus, electio remaneat in suo robore ex firmatis *per Abbat. & alios in cap. sicut de election. Sigismund. de Bonon. Dub. 9. num. 2. & 3. Castellin dicto cap. 8. num. 1. Lauor. de Election. Cap. 17. num. 15. Donat. d. quaest. 21. num. 2. & 3. cum alijs plenè congestis per Barbos. de Canonic. cap. 39. num. 24. & de Iur. Eccles. lib. 1. cap. 19. num. 115. & sequen. Passerin. de Election. cap. 11. num. 120. & Rot. coràm Burati. decis. 351. num. 4. Peutinger. decis. 251. num. 13. & decision. 266. num. 6.*

119. Quod est adeò verum, vt quatenùs etiam adfuisset oppositio dictorum Discretorum, adhuc ea sola non sufficeret, nisi vlteriùs fuisset prosequuta, vt aduertit *Barbos. de Canonic. dicto cap. 39. num. 24. Rot. coràm Burati. dicta decis. 351. num. 5. & coràm Peutinger. decis. 266. num. 11.* Immò prosequutio, & instantia fieri debet intrà tempus electionis. *Abbas, & alij apud Passerin. dicto cap. 11. num. 121. in fin.*

120. Quæ multo fortiùs procedunt in præsenti, quià non solùm Discreti nunquàm protestati sunt de huiusmodi nullitate, sed vlteriùs ab anno 1667. vsque in præsens ampliùs ad Comitia Generalia non comparuerunt: Vndè tanto magis cecidisse dicuntur ab omni eorum prætenso Iure, iuxtà authoritates suprà relatas.

121. Neque hodiè, & imposterum potest ampliùs prætendi illorum admissio in futuris Electionibus, dùm per speciale Breue San. Memor. Clementis X. motu proprio æditum die 12. Nouembris 1672. præuia de rogatione omnium Constitutionum, fuerunt in totum suppressi, & abrogati ob plures grauissimas

uissimas Causas, ibibi expressas, quod à Summo Pontifice fieri potuisse non est ambigendum *leg. Disputare Cod. de Crimine Sacri legij*. *Rot. decis.* 14. *num.* 6 *part.* 12. Maximè in materia Regularium, in qua Papa est absolutus Dominus.

122. Cuius quidem Breuis dispositio frustrà euitari prætenditur sub prætextu subreptionis, ex quo repræsentatum non fuerit, transmissionem Discretorum esse substantialem, & conformem Regulæ, Sacris Canonibus, & nostris Constitutionibus; Nàm ex superiùs probatis, nec obstat Regula, nec aduersantur Sacri Canones, neque nostrarum Constitutionum decreta, tamquàm pluries abrogata per subsequentia Capitula Generalia, seruata forma in eisdem Constitutionibus præscripta.

123. Vltrà quod cessat insuper omnis subreptio; Nedum quià dictum Breue emanauit motu proprio, & ex certa scientia, non autem ad instantiam Partis *cap Si motu proprio de Præbend. in sext. Neguerol. allegation.* 32. *num.* 211. *Rocca disputation. Iur.* 89. *num.* 2. *tom.* 1. *Lotther. de re Benefic. tar. lib.* 3 *quæst.* 1. *num.* 65. *Coccin. decis.* 2252. *num.* 1. *& in recentior. decis.* 469. *num.* 17. *part.* 18. *accedente præsertìm clausula sublata, & decreto irritanti*, Ex quibus obstruitur os oblatrantium, & ligantur manus Iudici alitèr decernendi *Rota coràm Carill. decis.* 132. *num.* 12. *& in recentior. decis.* 262. *num.* 8. *part.* 19.

124. Verùm etiam quia habet in ventre expressam clausulam -- *Nè de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio, aut Interesse, habentium cōsensu alioquè quolibet, etiā quantumuis magno, & substantiali defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, seù ad terminos Iuris, vel Constitutionum prædictarum reduci vnquam possit* -- sunt verba præcisa Breuis, quæ paritèr iuncta cum Clausula *sublata* omnem subreptionem excludunt. *Verall. decis.* 218. *part.* 3. *Marchesan. de Commission. relax. Iurament. ad effectum agendi part.* 3. *S.* 3. *num.* 84. *Rota decis.* 247. *part.* 11. *vbi aliæ cumulantur*.

125. Atque ex his, explosis omnibus exceptionibus, & Cauillis Patrum Opponentium, dubitandum ampliùs non videtur de modernarum Constitutionum Validitate, & consequentèr de obligatione ipsorum Aduersariorum obtemperandi, iuxtà monitum Apostoli suis Præpositis, & Superioribus, habentibus Iuris assistentiam ad exigendam Obedientiam Monasticam *Rota coràm Merlin. decis.* 18. *num.* 11. *cum alijs apud*

Posth.

Posth. de manutent. obseruat. 10. *num.* 16. Et ex qua sola Iuris assistentia, si debita eis foret manutentio in quasi possessione Superioritatis, reiecta ad petitorium exceptione Nullitatis Constitutionum, vt in terminis indiuidualibus decisum fuit *Coràm Dunozett. decis.* 47. *per tot.*, quantò libentiùs in præsenti, in quo prætensa Nullitatis exceptio penitùs ex iàm dictis eliminata remansit.

Quare &c.

Petrus Valerius Martorellus in Romana Curia Aduoc.



Romana Constitutionum Congregationis Monachorum Reformatorum Sācti Bernardi Ordinis Cistercien.

PRO

Eadem Ven. Congregatione.

CONTRA

Nonnullos Monachos Monasterij Camberien. eiusdem Congregationis.

Iuris D. Martorelli.

Romæ, Typis Reu. Cam. Apost. 1698.